



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones. Fundatio Monasterij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

In libro 10. rapsodiarum Ioan. Auentini ita annotatum reperio: Anno Domini 1084. Reicherperg castro Wernherus præpotens Boius, super flumine Oeno, Patauien. Diocesis, vxore eius Dietpirga, soror Gebhardi Archiepiscopi Salisburgen. Is post mortem vnici filij Gebhardi & vxoris cum oriretur lis iam eo viuo inter agnatos eius de hæreditate, Castrum demolitur, Diuo Michaeli Templum dedicat, Canonicis Regularibus attribuit. Post Albinus, filius Arbonis, fratris huius Wernheri, viuente patruo, Sacerdotes pellit, prædium occupat, Wernherus in tutelam præsentis Gebhardo Archiepiscopo Salisburgen. tradit, paulò post obiit 3. Non. Octobris, sub gradu aræ S. Crucis, cum filio & vxore sepultus.

^{sup} SEPULTI sunt ibi Nobiles de Schvvent, de Martino, de Trenbach, Successores ipsorum de S. Martino, de Kalling.

A D D I T I O N E S.

Fundatio Monasterij.

Dysillus grex Clericorum Ecclesiæ S. Michaelis in Reicherperge Multi per ignorantiam delinquant, qui causas, quas ignorant non diligentissime inuestigant. Huiusmodi periculum cauens & cauendum docens B. Iob. Causam, inquit, quam nesciebam diligentissime inuestigabam: igitur & nos qui Deo militandi in Reicherperg votum & velle per Dei gratiam habemus, eiusdem loci legitimas & iustas possessiones diligentissime inuestigauimus, ob hanc nimirum cautelam, ne vel nos iniuste aliquid retinendo committamus rapinam, vel sub silentio incauto eam, quæ in nostræ committitur Ecclesiæ bonis, foueamus rapinam, sacrilegam. Est autem prædium quoddam iniuste nobis ablatum quod qualiter euenerit, cupimus Christi fidelibus & nostris maxime in posterum successoribus, vt omnes eiusdem prædij possessores iniusti nunc & in perpetuum agnoscantur damnati nisi resipiscant & prædium nobis iniuste ablatum præfatæ S. Michaelis Ecclesiæ ad integrum restituant. Sic enim dicit episcopalis auctoritas in priuilegio Ecclesiæ nostræ, quod datum nobis à Chuonrado Archiepiscopo fundatore nostro, anno incarnationis Dominicæ M. C. XXIX. Quisquis autem Domini Werenheri in pace quiescentis traditionem temerario ausu violare aut subtrahere, aut violenter commutare præsumperit, auctoritate Dei patris & filij & Spiritus sancti perpetuo damnatus interitu nisi omnia sublata Canonica restituat sanctione.

Hic Werenherus fundator Ecclesiæ nostræ, inter cætera sua prædia dedit sancto Michaeli in vsum communis vitæ prædium quod ipse liberè à suis antecessoribus hæreditaria lege ad se deriuatum possederat in loco Chrovvat Karinthia posito, Idem quippe Werenherus fratrem habuerat nomine Aribonem, cum quo ita diuise hæreditatem, XXX. mansos in loco qui dicitur Radilaba sitos iuxta fluuium Traham obtineret Aribo, & alios XXX. mansos in Chrovvat sitos obtineret Werenherus; quos etiam libera traditione dedit præfatæ Ecclesiæ. Sed postea prædicti Aribonis filius Albrvvinus cum haberet illos XXX. mansos in Radilaba, visus est insuper occupare patru sui Werenheri hæreditatem, videlicet alios tredecim mansos in Chrovvat, voluitque ipsum etiam fundum, in quo nunc Ecclesia sancti Michaelis est fundata, viuente adhuc Werenhero patruo suo, sed vltimum iam spiritum trahente, inuadere. Quin insuper ausus est Clericos locatos ibidem de Ecclesia S. Michaelis expellere, sed vltio diuina, quam Werenherus patruus eius prophetauerat quando iam
morti

morti proximus erat, eundem *Albuinum* diu non sinebat viuere. Dixerat enim *Werenberus* B. *Michaeli* se confidere, quod bona, quæ ipse ad honorem suum obtulerat, nullus posset impunè abalienare, cum S. *Michael* ea satis posset ab iniustis peruasoribus liberare. Non vanum erat hoc præconium: nam ultio diuina percussit primo ipsum *Albuinum* ac deinde cæteros in eodem scelere suos complices ac posteros tam euidenti miraculo, vt ex hinc possit fieri veteris historiae satis apta recordatio. Sicut enim quondam cum Arca Dei capta esset apud allophylos plaga magna venit super homines cuiusque ciuitatis, ad quam deuenisset Arca Dei. Percussit enim eos Dominus in posteriora & opprobrium sempiternum dedit illis. Ita planè; ad quoscunq; deuenit S. *Michaeli* oblata hereditas, percussi sunt plaga magna. Ipse namq; *Albuinus* à die peruasionis, quæ locum S. peruasit, & alius quidam *Adalbero* cooperatores eiusdem peruasionis, intra spacium vndecim dierum improuisa morte de hac vita sunt abrepti, tam terribiliter Deo istos peruasores percutiente, vt Com. *Vdalricus*, cui præfatus *Adalbero*, iussu *Albuini*, fecerat iuramentum, ad eiusdem peruasionis firmamentum, cum facto iuramento videret ipsum *Adalberonem* subito ante se ruere percussum diuina ultione non auderet huius tam impiæ peruasionis participem se facere, fertur enim dixisse idem Comes *Vdalricus*, vt video, *Locus Richerspergensis* potentes defensores habet, contra quos ego nunquam inuadam eundem locum. Sic defuncto *Albuino* cum *Adalberone* suo, quædam *Luitkardis* eidem *Albuino* in sponsam à parentibus confirmata nunquam tamen ab eo visa vel tacta successit sacrilego *Albuino* quasi legitimus hæres in solo sacrilegio. Nam de cætera & certa ipsius *Albuini* hereditate nihil se intromisit nisi de solo sacrilegio. Hereditatem namq; prædicti *Werenberi* S. *Michaeli* oblata quam *Albuinus* inuaserat per sacrilegium, illa eius jurata sponsa item inuasit per sacrilegium. Supra nominatos enim mansos in *Chrouat* illa violenter inuasit: pro qua inuasionem pater eius *Almerich* captus & ad iuramentum fuit coactus, ne vnquam se de prædictis mansis intromitteret, vel pro eo aliquis cui ipse prohibere posset. Duxit autem eadem *Luitkardis* postea virum nomine *Nitkifum*, qui ob eandem peruasionem est occisus, Deo illi tribuente, quod meruit pro eo, quod obediuit voci vxoris plus quam Dei præcepto intromittendo se de S. *Michaelis* prædio. Alterum duxit postea virum nomine *Dietericum*. Et ille suauis vxoris extendendo manus suas quasi ad vetitum lignum, videlicet ad interdictum sibi S. *Michaelis* prædium, lepræ incurrit opprobrium, & in lepra clausit præsentis vitæ terminum. Sentitur etiam, & adhuc sentietur amplius in huius mulieris posteritate plaga ultionis diuinæ: & illa tamen respicere nolens quærit adhuc latebras Euxæ. Sicut enim illa post interemptionem sui & viri sui, abscondit se in medio paradisi: ita & hæc filia Euxæ post interemptionem suimet, ac duorum virorum suorum abscondit se in suo peccato, atque per hoc sicut illa mortem quam viro propinauerat suæ posteritati transmisit, ita & hæc lepram quam viro contulit posteris hereditariam facit, nisi respiciat & S. *Michaeli* ablata vsq; ad nouissimum quadrantem, pro posse, restituat. Alioqui tam ipsam quam eius posteritatem, & si contingat euadere pœnam præsentis vitæ, iudex tradet exactori, & exactor carceri infernali. Inde non exhibunt quoad vsque soluant nouissimum quadrantem, quem quia tunc non poterunt soluere non poterunt etiam vnquam exire. De XXX. mansis iam XV. reddidit: alios XV. adhuc habet malo suo & malo suæ posteritatis, quæ sibi succedat in sic hereditariis peccatis. Ne autem tanti sacrilegij memoriam deleat obliuio, nos huius causæ diligentissimè inuestigatam seriem scripto comprehensam seruabimus posteris, & nisi respiciant præfati prædij peruasores tam ipsa *Luitkard*, quam eius filij

filij vita comite, ac Deo disponente notum erit ipsis eorum sepulcoribus quod eis nulla debeat Ecclesiastica sepultura, qui sponte negligunt & euertunt ecclesiastica jura contemnuntque priuilegia Episcopalia super facultates ecclesiasticas data, in quibus damnantur qui eisdem priuilegiis aduersantur, sicut aduersantur Ecclesiæ nostræ priuilegio, quicumque temerario ausu retinent aliqua nobis iniuste ablata, quos Deus dignetur conuertere ne pereant aternâ damnatione Amen.

INNOMINE S. & indiuiduæ Trinitatis *Chuonradus* Dei gratia *Saltzburgen-*
sis archiepiscopus. Virum beatum *Psalmista* designans ait, Disperfit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. Pro adipiscenda itaque beatitudine quæ dispersimus dedimusque pro iustitia nostra perpetuanda in seculum seculi volumus in pauperum Christoque seruentium seruitio in seculum stabiliri. Notum ergo esse volumus tam presentibus quam futuri temporis hominibus nos ad sustentationem Christi pauperum in *Richersperg* Deo sub communis vitæ regula seruentium & amodo seruiturorum, quædam contulisse, quæ subnotata continet scriptum presentis paginæ: Videlicet patellam in *Halla* cum vno curtilli in ipsa villa *Hallensi* & VI, curtilibus in syluestribus *Vnchen* vulgo nominatis de quibus ligna persoluuntur ad ipsam patellam mansum, & dimidium in *Pongorve* VI, mansos juxta *Richersperg* sitos in villa *Antesinhouen*, & *Vihusin* & *Gurtim*, prædium quoddam in *Nospach* quod erat militis *Chaderohide Nospach*. Hæc sunt bona de nostra liberalitate *Richersperg* Cœnobio collata. Et illud quoque curauimus memoria tradere quod eidem Ecclesiæ prædia, videlicet curtem, quæ dicitur *Chrovvat* cum prædiis eidem curti appendiciis vsque ad XXX, vt dicitur mansos requisimus. In qua requisitione cum diu laboratum esset, & *Luitkardis* quæ prædia illa iniuste detinuerat episcopali banno constricta, tandem peccatum iniustæ peruationis recognosceret, sed à filiis suis eadem liberare non posset, nos pro redemptione animæ nostræ XXX, marcas expendimus vt prædia iam dicta penitus liberè, ac sine omni contradictione obtineret Ecclesia *Richerspergensis*, cui eadem prædia legitime data fuerant à beatæ memoriæ *Werenbero* ipsius Ecclesiæ fundatore & eorundem prædiorum legitimo quondam possessore. Quoniam autem ab ipso suo fundatore iam dictæ Ecclesiæ fundus & patrocinium in jus & tuitionem firmamque possessionem Ecclesiæ *Saltzburgen-sis* agnoscitur per legitimam traditionem deuenisse, ratum esse conuenit subsidium quo nos auctore DEO de nostra copia illius inopiam suppleuimus. Quoniam hoc non est rerum Episcopaliū distractio, sed ampliatio, si pauperibus Christi Episcopatum respicientibus & ab eo pendentibus competens fiat sustentatio. Quam sanè pauperum sustentationem tam in loco dicto, quam in aliis locis nostræ prouidentia subiacentibus, nos ea moderatione fecimus, vt Episcopatum quam pauperrimum, & valde vastatum inuenimus, diuitem Deo gratia & satis copiosum tamque à ruinis morum, quam à ruinis mærorum honestè fauente DEO reparatum successoribus nostris moriendo relinquamus. Vnde successores nostros per tremendum ultimi examinis iudicium obtestatos & obsecratos esse volumus vt ratum habeant, quod nos diuinæ pietatis intuitu in *Richersperg* Cœnobij consolationem disposuimus. Quæcumque autem secularis aut spiritualis persona quod à nobis pie est depositum, aliquo modo duxerit in irritum, in ultimo examine reddet rationem coram summo iudice. De salubri sanè dispositione nostra pagina conscripserat
& sigillo

& sigillo nostro impressa data est, *Frefaci*. Huius rei testes sunt & concludatores *Romanus Gurcensis* Episcopus, *Hermannus* Præpositus, *Baldricus* Abbas *Saltzburg*, *Vdalricus* Abbas S. *Lamberti*, *Pabo* Præpositus de *Gurca*, *Hartmanus* Præpositus de *Niuuenburg*, *Chuno Saltzburgensis* Canonicus & presbyter, *Otto* monachus S. *Petri Wolfrat* Comes de *Treuini*, *Adelbero dapifer*, *Carolus* de *Prevarin*, *Weriant* de *Witinsvvalt*, *Engilcalcus* frater *Gurcensis* Episcopi, *Maganus* de *Scalach*, *Luitruvin* Præpositus, *Eberhardus* de *Libeniz*, *Durinch* de *Dietrammingen*, *Wisint* de *Pongorve*, *Egilbertus Castellanus*, *Eberhardus* de *Prisingen*, *Mirabilis nanus* de *Arizperg* nepos imperatoris *Heinrici*.

Innoentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis *Gerhoho Richerspergensis* Ecclesiæ Præposito, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, & iustis petentium desideriis congruum decet nos impertiri suffragium. Ea propter dilecti in Domino filij, venerabilis fratris nostri *Conradi Saltzburgensis* Archiepiscopi precibus inclinati petitiones vestras rationabiles libenter admittimus, & monasterium vestrum quod est in Episcopatu *Patauiensi* & fundo *Saltzburgensi* Ecclesiæ situm in quo diuino mancipati estis officio, sub apostolicæ sedis ac nostra protectione suscipimus & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt tam in vestro quam in monasterio sanctimonialium nobis subdito orto Canonicus iuxta *Diui Augustini* regulam perpetuis temporibus inuolabiliter conferuetur. Præterea quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iuste & canonicè possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: fundum videlicet & plebem *Richerspergensem* cum decima & iure parochiali, Capellam S. *Martini* cum suis pertinentiis, vineas in *Aschab*, villam *Chrovvat*, & reliqua prædia à *Werenhero* loci ipsius fundatore oblata, patellam salis in *balla* & reliqua prædia à prænominato fratre nostro *Saltzburgensi* Archiepiscopo Ecclesiæ vestræ collata, *hoffat*, & alia prædia, quæ *Raopertus* obtulit, prædia quæ *Fridericus* donauit, prædia quæ fuerunt *Eglesi* & *Eberhardi*, cum eorum decimis ab Episcopo *Frisingensi* vobis concessis, & vineas emtas in *Cremesa* & ea quæ *Dux Luitpoldus* contulit, sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus omninò clericus siue laicus decimas à vobis exigere præsumat.

Ecclesiastica nimirum sacramenta à *Diocæsano* accipietis Episcopo, vel à *Saltzburgensi* Archiepiscopo siquidem, gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerint & si ea gratis & sine prauitate voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis pro eorundem sacramentorum susceptione Catholicum quem malueritis adire Antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quæ postulatur indulgeat. Et quia hic locus vester est institutus vt *Saltzburgensis* Ecclesiæ principalis aduocatus, ipsius quoque loci sit aduocatus, neque ipsi, neque alicui subaduocato eius eundem locum liceat iniustis grauaminibus infestare. Quod si fecerit & nobis conquerentibus non emendauerit consilio & auxilio præfati Archiepiscopi, ipsa aduocatia ab inuiti auferatur & alius loco eius substituatur. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Præposito vel ad alterius Ecclesiæ regimen transeunte siue tuorum quolibet succedere nullus ibi qualibet subreptionis astucia vel violentia substituatur vel præponatur, nisi quem fratres

fratres communi consensu, aut pars sanioris consilij secundum Dei timorem & B. *Augustini* regulam canonicè prouiderint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum, qui se illic sepeliri deliberauerunt extremæ voluntati & deuotioni nullus obliſtat, nisi fuerint excommunicati, saluâ tamen iustitiâ matris Ecclesiæ.

Decernimus ergò vt nulli omnino hominum liceat præfatum Cœnobium temerè perturbare, aut eius bona vel possessiones auferre, vel ablatas temerè retinere, minuere, seu quibuslibet indebitis exactiõibus, vel molestiis fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimòdis profutura, salua nimirû *Salzburgensis* Archiepiscopi, & *Patauiensis* Episcopi debita iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temerè tentauerit, secundò, tertio uè commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, eamq; se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremò examine districtæ ultioni subiaceat. Addentes etiam interdiximus, vt nemini professionis vestrae facultas sit alicuius leuitatis instinctu, vel arctioris religionis obtentu sine Præpositi, vel congregationis licentia de clauſtro discedere. Quod si discesserit, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus monachorum sine communium, literarum cautione eum suscipiat, quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici ordinis tenor Domino præstante viguerit. Si verò secundò vel tertio uocatus redire contempserit, liceat eiusdem loci Præposito canonicam in eum proferre sententiam. Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ retributionis inueniant Amen.

Ego *Innocentius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego *Conradus Sabinensis* Episcopus. Ego *Albericus Hostiensis* Episcopus. Ego *Stephanus Prænestinus* Episcopus. Ego *Otto* Diaconus Cardinalis S. *Georgij* ad velum aureum. Ego *Martyrius* presbyter Cardinal. Tituli S. *Stephani*. Ego *Boëtius* presbyter Cardinal. Tit. S. *Clementis*. Ego *Petrus* presbyter Cardinal. de Tit. *Pastoris*. Ego *Hubaldus* presbyter Cardinal. Tit. S. *Braxedis*. Ego *Hubaldus* presb. Cardinal. Tit. SS. *Ioannis & Pauli*. Ego *Vasallus* Diac. Cardinal. S. *Eustachij*. Ego *Petrus* Diac. Cardinal. S. *Maria* de porticu. Dat. *Laterani* VI. Id. Ian. per manum *Gerardi* S. Rom. Eccl. presbyteri Card. & Bibliothecarij, Indi. V.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Luitpoldus* Dux *Bauuaria*rum Dei gratia cupiens hereditare beatitudinem, de qua dicitur, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, egendum & pauperum Christi in Cœnobio *Richerspergensis*, Deo militantium, intellexi paupertatem, simulque animaduerti quædam eorum prædia vastata, dum exercitus vel patre meo *Luitpoldo*, vel me ipso ducente per terras eorum iret ac rediret. Vnde commonitus à præfati Præpositi Cœnobio *Gerbobo*, ad vsus fratrum inibi Deo seruientium ac seruitorum ex nunc impoſterum tradidi duo beneficia in villa quæ dicitur *Laubes* cum omni uilitate ad illa pertinente. Scientes autem quod hilarem datorem diligit Deus, & hic sine dubio est hilaris dator, qui

Metrop. Salisb. Tom. III.

u

mensu-

mensuram bonam & confertam & coagitatam dat; Volumus & irretactabili-
ter decernimus non solum ad prædicta beneficia excolenda, verum & ad alias
qualescunque utilitates fratrum *Richersperg*, duobus plaustris aut vehiculis eo-
rum amodo semper in posterum patere sylvam quæ vulgo dicitur *Wass* sitam
inter duos fluuios *Champam* & *Chremesam*, ita videlicet vt nullus eiusdem syl-
uæ procuratorum ab eis exigat vilum precium, seu qualiscunque angaria
grauamen illis faciat. Sed omninò vt dictum est, liber introitus & exitus in
eamdem sylvam ac de sylvâ fratribus præfatis & eorum seruis pro commodita-
te ipsorum pateat. Ipsa quoque duo beneficia præsignata ita decernimus per-
manere libera in fratrum propria potestate, sicut erat in nostra: ne vel Camera-
rij vel marscalci seu alij seruitores nostri, ac posterorum nostrorum in villo sint
molesti cultoribus eorum, vel de rebus curiæ traducendis, vel de annona e-
quorum persoluenda, vel de alijs ministris huiusmodi exequendis. Hæc au-
tem traditio ad altare *S. Michaelis* in *Richersperg* me præsentem ac petentem facta est
per manum Comitis *Luitoldi* de *Bleien* delegatione firma, in cuius manum de-
legatio eadem per manum nostram prius fuerat facta. Huius rei testes per au-
rem attracti sunt hi, quorum nomina subnotata leguntur. *Otaker* Marchio,
Comes *Ekkebertus*, *Otto* de *Machlant*, *Werinhart* de *Jugelbach* & filius eius *Werin-
hart*, *Wolphere* de *Regernvvag*, *Albrvvinus* de *Petra*, *Hademar* de *Choufaren*, *Gebe-
hart* de *Abadesdorf*, *Chadelhochus longus* de *Rorâ*, *Eberhart* de *Brunde vva*, & *Vadri-
cus* frater eius, *Harint* de *Orte*, *Richere* de *Sebach*, *Walter* de *Tobele*, *Ainvvich*, de
Vribaim, *Harthnit* de *Salzburg*, paginam verò inde conscriptam ne quis audeat
violare vel respicere quasi falsam, Ego *Luipoldus* Dux impressione sigilli mei feci
confirmari.

IN Nomine summæ Trinitatis. *Chuonradus* diuina fauente clementia *Roma-
norum* Rex. Præceptis Salutaribus moniti, & diuinâ institutione instructi
facere nobis amicos de Mammona iniquitatis, eâ spe ac fiduciâ, vt & ipsi nos
recipiant in æterna tabernacula, debemus religiosis Cœnobijs propensioricu-
râ munimen & auxilium prouidere, vt in eis commorantes pauperes Christi
pro nostris peccatis abolendis & regni temporalibus motibus ad æternitatis
quietem dirigendis valeant intercedere apud Regem regum cuius regnum
est omnium seculorum. Igitur ad munimen & auxilium regularis vitæ tradi-
dimus & confirmamus Cœnobio *Richerspergensis* constituto in ripâ *Ini* Fluminis
in regione *Noricâ*, in Comitatu *Ekkeberti* Comitis, vt si quis ministerialium ad
regnum *Teutonicum* vel ducatum *Baiuvaricum* pertinens, prædium suum in
eleemosynam dare voluerit, prædicto Cœnobio rata sit ipsâ traditio & firma
permaneat: vt autem in contradicibilis & in conuulsa permaneat hæc nostra re-
gularis constitutio communiri & insigniri eam fecimus regali nostro sigillo.
Actum in ciuitate *Ratisbonâ* in Curiâ celebri, cui interfuert Episcopi, *Diet-
vvinus* Episcopus Cardinal. *S. Rufina* apostolicæ sedis Legatus, *Heinricus* *Ratis-
bonensis*, *Imbrico* *Wirtzburgensis*, *Otto* *Frisingensis*, *Heinricus* *Olmucensis*, & laici
Principes *Marchio Dietpoldus*, *Otto* Comes Palatinus, Comes *Gebehardus* de *Salz-
bach*, Comes *Adalbertus* de *Pogen*, *Fridericus* aduocatus, & alij nobiles multi. Dat.
XVIII. Cal. Ian.

IN Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Conradus* Dei gratiâ *Salzburgensis*
Archiepiscopus. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die
mala liberabit eum Dominus. Huius beatitudinis & liberationis nos cu-
pientes Deo præstante obtinere consortium statuimus pium intellectum
habere

habere super egenam & pauperem *Richerspergensis* Ecclesiæ congregationem, sub regulâ beati Augustini viventem in *Richersperg* Cœnobio, in ripa *Ini* fluminis sito in fundo proprio *Saltzburgenfis* Ecclesiæ in Episcopatu *Patauiensi*. Vnde ad subsidium pauperum Christi ad idem Cœnobium firmâ legitimâ delegatione tradidimus omnes decimas in parochia quæ dicitur *Pittine* exceptâ sanè canonica portione sacerdotis plebani quas eidem plebano indiminutas volumus permanere in perpetuum, & exceptis decimis vinearum in eadem parochia sitarum. Decimas etiam ad idem Cœnobium alterius parochiæ quæ dicitur *Branberg* totam decimationem tam de vineis quàm de agris, vel de aliis rebus nobis iure persoluendam, excepta Canonica portione sacerdotum hic perpetuo constituendorum. Et quia eadem parochia de adiacenti sylua *Putinensi*, præstante Domino potest ampliari, à loco quj dicitur *Putinorve* vsque ad terminos *Vngarorum* & vsque ad montem *Harthperg* in prædio Comitum *Ekkeberti* crescentibus ibidem noualibus, hoc statuimus & stabiliter in posterum conferuari volumus, vt omnia noualia quæ in sylua *Putinensi* intra terminos designatos exquisita, vel exquirenda parochiæ, quæ dicitur *Branberg* continuabuntur, vel in parochias nouas formabuntur in eadem constitutione permaneant: ita videlicet, vt exceptis debitis portionibus sacerdotis plebani decimæ omnes vinearum frugum & animalium persoluantur ad prædictum. Cœnobium cum integrâ iustitiâ nostro iuri debita & ad nostram dispensationem pertinente secundum præcepta Canonum quibus monemur, habere curam pauperum. Vt autem hæc nostræ dispensationis pia constitutio nulla impietatis machinatione violetur, sed in perpetuum firmissimè conseruetur, sigillo nostro hanc paginam communitam tali sententia concludimus: Vt si quis contra eam agens temerè tertio communitus non resipuerit, ira Dei maneat super ipsum in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat per penitentiam sine quâ, si defunctus fuerit, de perpetrata iniquitate se reum cognoscat in tremendo examine Iudicis cuncta cernentis. Ego *Romanus Gurcensis* Episcopus. Ego *Vadalricus Saltzburgenfis* Abbas. Ego *Gotfridus* Abbas *Admontensis*. Ego *Gebeno Saltzburgenfis* Præpositus. Ego *Chuno Chimensis* Præpositus. Ego *Hugo Perthesgadensis* Præpositus. Ego *Gotheschalcus Bademburgenfis* Præpositus. Ego *Heribordus Ouuensis* Præpositus. Ego *Heribordus Lanzo Hallensis* Præpositus. Ego *Hugo Garcensis* Præpositus. Ego *Kuodbertus* presbyter. Actum in castro *Saltzburgen*. X. Calend. Nouembr. Indiçt. VIII. Huius rei testes per aurem attracti sunt isti: *Heinricus* Dux *Karintia*, & frater eius *Vadalrich*, *Hugo* de *Tanters*, *Heinricus* de *Wenge* *Fridericus* de *Lingnowve*, *Hartnith* & frater eius *Marchwart* de *Vzittingen*, *Heinrich* & frater eius *Diethmarus* de *Chutebach*, *Gundakar* de *Walpebtingen*, *Luirvinus* Castellanus, *Chuno* de *Engilbalmingen*, *Megingoth* filius *Megingoti* *Pincernæ*, *Diethmar* de *Eicheim*, *Volcholt* de *Aschouue*, *Werinhart* de *Otenach*, *Otho* de *Wilern*, *Adilpret* de *Witenstein*. *Otto Nefel*.

Chuonradus Dei gratia *Saltzburgenfis* Ecclesiæ Archiepiscopus, dilectis in Christo *Richerspergensis* Cœnobij fratribus orationem & perpetuam in Christo dilectionem.

De contrarietate priuilegiorum vnde vos vt audiimus monachi *Formbacenses* molestant quasi de bonis vobis collatis ipsi priuilegium priuilegio vestro contrarium à nobis habeant, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum, orantibus vobis pro nobis dum vtimini eleemosynis Ecclesiæ *Saltzburgenfis*, cui deuincti estis, non solum per vinculum filialis dilectionis, verum etiam per

justitiam foundationis. Quia fundata est Ecclesia vestra in possessione *Salzburger* Ecclesie. Fatemur quidem predictos monachos obtinuisse à nobis privilegium per anticipationes concambio quodam destinato, & nondum in vñibus fructuariis compensato. Sed illud privilegium non est firmatum per Clericorum nostrorum subscriptiones, vel conlaudationem: quin potius cassatum est per eorum contractionem & ministerialium nostrorum publicam reclamationem.

Quod igitur timeatis privilegium quod non canonicè firmatum, imò, quod Canonibus est contrarium, prohibente sanctorum patrum auctoritate, perpetuas alienationes decimarum fieri, de quibus alienandis contendunt predicti monachi, quos non consentimus plus habere de juris nostri utilitate, nisi quantum attinet ad justam & piam recompensationem prædij quod Ecclesie nostræ contulerunt, quodque vos ex parte habetis per munificentiam nostram. Ut ergo firma sit posteris memoria huius nostræ contestationis, hanc paginam sigillo impressam volumus apud vos conservari, quatenus in defensionem justitiæ valeat, si quis de cætero factum nostrum quasi non justum accusabit, & vos per hoc molestare tentabit. Præterea ne vlla relinquatur litigationis occasio, inter vos & plebanos sacerdotes nostros de termino *Brambergensis* parochiæ, notum sit vobis novale *Gerrici* militis cum silva pertinente ad illud infra terminos eiusdem parochiæ comprehendi, affirmante hoc ipsum rationabili contestatione plebanorum nostrorum, quorum nomina sunt hæc. *Hartovicus* de *Lankenkirchen*, *Wolferim* de *Patine*, *Pabo* de *Vischba*, *Meginvart* de *Nirvenkirchen*, *Herman* de *Pels*.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis *Gerhobo Richerspergensis* Ecclesie Præposito, eiusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere: & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quia sicut iniusta petentibus nullus est tribuendus affectus, ita legitima & iusta desiderantibus nulla est differenda petitio. Huius rei gratia dilecti in Domino filij prædecessoris nostri, felicitis memoriæ Papæ Innocentii vestigiis inhærentes, nec non venerabilis fratris nostri *Conradi Salzburgerensis* Ecclesie Archiepiscopi precibus inclinati, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & monasterium vestrum, quod est in Episcopatu *Pataviensi*, in fundo *Salzburgerensis* Ecclesie situm, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati *Petri* & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communitus. In primis siquidem statuentes ut tam in vestro quam in monasterio sanctimonialium vobis subdito ordo Canonicus, iuxta *B. Augustini* regulam perpetuis temporibus inuiolabiliter conservetur. Præterea quæcumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: fundum videlicet & plebem *Richerspergensis* cum decima & iure parochiali, Capellam *S. Martini* cum pertinentiis suis: vineas in *Aschâ*, villam *Chrovvat* & reliqua prædia à *Wernbero* loci ipsius fundatore vobis oblata. Decimas *Brambergensis* Ecclesie, ac novalium *Patiniensis* Sylvæ à prædictis parochiis usque ad terminos Vngaricos pertinentes. Vene-

Venerabilis fratris nostri *Conradi Saltzburgerensis* Archiepiscopi privilegio vobis firmatas, patellam salis, & alia prædia ab eodem Episcopo data, *Hoffstat* & alia prædia quæ *Ruodbertus* iuste obtulit, prædia quæ *Fridericus* donavit, prædia quæ fuerunt *Egelolfi* & *Eberhardi*, cum eorum decimis ab Episcopo *Frisingenfi* rationabiliter vobis concessis, & vineas emptas in *Chremesa*, & ea quæ Dux *Luipoldus* iure suo contulit. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino à vobis decimas exigere præsumat. Ecclesiastica nimirum sacramenta, à Diocesano suscipietis Episcopo, vel à *Saltzburgerensi* Archiepiscopo, siquidem gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerit: & si ea gratis & sine prauitate vobis voluerit exhibere: alioqui liceat vobis pro eorundem sacramentorum susceptione, Catholicum quem malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quæ postulatis indulgeat. Et quia sic locus videtur esse institutus vt *Saltzburgerensis* Ecclesiæ principalis sit aduocatus, neque ipsi neque alicui subaduocato eius, eundem locum liceat iniustis grauaminibus infestare. Quod si fecerit, vobis conquirentibus non emendauerit consilio & auxilio præfati & Archiepiscopi, ipsa aduocacia ab inutili auferatur, & alius loco eius substitutatur. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Præposito vel ad alterius Ecclesiæ regimen transeunte siue tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, vel substitutatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars consilij sanioris, secundum Dei timorem, & beati *Augustini* regulam canonicè prouiderit eligendum. Addentes etiam interdiximus, vt nemini professionis vestræ facultas sit alicuius leuitatis instinctu, vel arctioris religionis obtentu, sine Præpositi vel congregationis licentia, discedere. Quod si discesserit nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus monachorum, sine communium literarum cautione suscipiat: quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici ordinis tenor Domino præstante viguerit. Si verò secundo vel tertio vocatus redire contempserit, liceat eiusdem loci Præposito Canonicam in eum proferre sententiam. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum, qui se illic sepeliri deliberauerint deuotioni, & eorum extremæ voluntati (nisi fortè excommunicati vel interdicti sint) nullus obstat, saluà iustitiâ matris Ecclesiæ. Decernimus ergò, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conseruentur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolicæ auctoritate & *Saltzburgerensis* Archiepiscopi & *Patauiensis* Episcopi Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona huius nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tenauerit, secundo tertioque communita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant Amen.

Ego *Eugenius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego *Albericus* *Hofstien-*

Microp. Salisb. Tom. III.

u 3

sis

sis Episcopus, Ego *Imarus Tusculanus* Episcopus, Ego *Octavianus* Diac. Cardinal. S. *Nicolai in carcere Tulliano*. Ego *Ruinerius* presbyter. Cardinal. Tit. S. *Priſca*. Ego *Hubaldus* presbyter. Cardinal. SS. *Ioan. & Pauli*. Ego *Aribertus* presbyter. Cardinal. Tit. S. *Anaſtaſi*. Ego *Manfredus* presbyter. Cardinal. Tit. S. *Sabina*. Ego *Villanus* presb. Cardinal. Tit. S. *Stephani in Calio monte*. Ego *Bernhardus* presbyter. Cardinal. Tit. S. *Clementis*. Ego *Hubaldus* presbyter. Card. Tit. S. *Crucis in Hierusalem*. Ego *Guido* Diac. Cardinal. S. *Maria in via lat.* Ego *Cinthius* Diac. Cardinal. SS. *Sergij. & Baschi*. Data *Sutri* per manum *Romani* S. Rom. Ecclesia presbyteri Card. & Cancellarij IV. Nonas Maij, Indictione IX.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis : Ego *Eberhardus* Dei gratia *Babenbergensis*, Ecclesia Episcopus, notum volo esse cunctis Christi fidelibus, rã præsentis temporis quã futurã posteritatis, quod in terra Ecclesiæ nostræ iuxta riuum *Antesin* fecimus concambium cum Præposito *Richerspergensis Gerhobo*, ex conlaudatione fidelium nostrorum, Marchionis *Odakeri* Aduocati nostri & aliorum, quos terra eadem beneficiaria concessione ipſo Marchione mediante contingebat. Concambium verò sic se habet: Riuus nomine *Senstunbach*, longo decursu cum multo fratrum *Richerspergensium* labore deductus est ad claustrum *Richerspergense*, ita ut alueus eius per terram prænotatam prædicto Marchioni à nobis in beneficiatam transeat, non sine aliquanto damno, pro quo sufficienter & plenarie nobis & Ecclesiæ nostræ iure cõcambij recompensando, à iam dicto Præposito per manum Aduocati *Richerspergensis* Ecclesiæ *Regingeri* suscepimus prædium quodam à *Wigando* datum iuxta eundem riuum in monte *Ratinberg*, & iuxta villam nomine *Munster*, agrum vnum, ut autem firmum sit & irretactabile iam dictum concambium, paginam hanc inde conscriptam, & subscriptione propriæ manus nostræ atq; conlaudatione Clericorum nostrorum, & fidelium quoq; laicorum nutu corroboratam sigilli nostri fecimus impressione signari. Ego *Eberhardus Babenbergensis* Episcopus subscripsi. Ego *Vdricus* Præpositus maioris Ecclesiæ. Ego *Folmarus* Decanus maioris Ecclesiæ. Ego *Luitpoldus* Præpositus S. *Stephani*. Ego *Chuonradus* Custos & Præpositus S. *Maria*. Ego *Meginhardus* Præpositus *Veteris Capella*. Ego *Hermannus* presbyter & Canonicus maioris Ecclesiæ subscripsi. Data *Babenbergæ* VIII. Cal. Octob. Indiç. XIV.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, omnibus Christi fidelibus notum esse cupimus qualiter ego *Chuonradus* diuina clementia *Patauiens* Ecclesiæ Episcopus, Ecclesiæ meæ *Patauiensis* simul, & Ecclesiæ *Richerspergensis* commodis ac pacis præsentis & futuro prospiciens, ex consensu Cleri & ministerialium nostrorum prædium Ecclesiæ nostræ in villa *Rosbach*, in Comitatu Comitum *Bertholdi de Pogen* situm per manum eiusdem *Pertholdi* Comitum ex iure aduocatiæ ipsi pertinentis in manum cuiusdam nobilis viri *Weriandi de Rountingen* tradi rogauimus Ecclesiæ *Richerspergensis* tradendum, ac de iure nostro in jus Ecclesiæ illius omnimodis transfundendum in legitimum videlicet concambium pro prædio *Hagenorve* super quo inter me, & iam dictam Ecclesiam *Richerspergensis* contentio esse videbatur simul & pro prædio, quod Ecclesia *Richerspergensis* in partibus orientis in villa *Liubes* possederat. Hoc itaque iam dictum nostrum prædium cum omni iure suo & utilitatibus quaesitis & inquirendis, simul & decimis in eadem villa juri nostro pertinentibus Ecclesiæ præfatae tradi fecimus Præposito & fratribus eiusdem Ecclesiæ, è contra prædium *Hagenorve* juri nostro recognoscentibus & per manum aduocati sui in villa *Liubes* Comitum *Chuonradi de Pielstaine* cum alio iam

iam dicto prædio suo in ius Ecclesiæ nostræ transfundentibus. Et hæc traditio per manum aduocati nostri *Petholdi* facta est nobis præsentibus ac petentibus in villa *Straschirchen* in manum iam dicti *Weringandi*.

Huius rei testes sunt per aurem attracti, ex nobilibus *Chadolt de Sunebretesdorff*, *Chadolt de Grunenbodengarten*, *Werinber de Waigestorf*, *Pabo de Agehausen*, *Werinhart de Iulbach*, *Reginger de Ride*, *Amelbertus de Aigeling*, *Adelbero de Burchartsdorf*: Et ex ministerialibus *Ruodigerus*, *Adalbertus*, *Arnoldus de Patavia*, *Waltherus de Ludinge Rapoto de Sorvabendorff*, *Gerhoch de Framelinperge*, *Heinricus Ruodolphus*, item *Ruodolphus*, *Megingoth de Pagen*, *Engilbertus* & frater eius *Otto de Stroubing*, Ego *Chunradus Pataviensis* episcopus subscripti, Ego *Ruodbertus* Decanus subscripti, Ego *Hainricus* Scholasticus, Ego *Harthmodus* Archipresbyter, Ego *Ruodbertus* presbyter, Ego *Adalbertus* Præpositus S. *Nicolai* subscripti, Data *Patavia* IV. Kal. Maij, Anno incarnat. Domini. M. C. LII.

IN nomine summe & indiuidue Trinitatis. *Eberhardus* Dei gratia *Salzburgen*. Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum esse volumus tam futuri quam præsentis temporis hominibus, qualiter quærela Dñi *Gerhobi Richerspergensis* Præpositi, quæ aduersus tria claustra, videlicet S. *Ruodberti* & S. *Petri*, sanctæque virginis *Erintrudis* habuit, consopita est. Denique prædictus Præpositus adhuc viuentem Beata memorie antecessore nostro *Chunrado* Archiepiscopo contra ministerialem Ecclesiæ nostræ *Heinricum de Sechirche* deposuit causationem super quodam prædio in vico qui dicitur *Mosin* sito, *Richerspergensis* cœnobio, vt asseruit legitime contradito. Sed quia prædictus *Heinricus* nondum lite hæc terminata defunctus, tres prænominate Ecclesias reliquit prædiorum suorum heredes, renouante suam quærelam *Richerspergensis* Præposito, in conspectu nostro ex beneplacito partium sic decisa est contentio: Vt Præpositus maioris Ecclesiæ *Hugo* & Abbas S. *Petri* *Heinricus*, nec non Abbatisa *Erintrudis Wirat*, designarent curiam quandam iuxta *Ardachirin* sitam cum suis pertinentiis Ecclesiæ *Richerspergensis*. Qua conuentione conuenienter ex oïum partium conuentione ordinata totalis in manum nostram sic est resutata vt neq; Præpositus vterius quærelam suam resuscitet neq; ipsum de cætero vel Præpositus maioris Ecclesiæ, vel Abbas S. *Petri* vel Abbatisa S. *Erintrudis* contra pactum istius compositionis inquietet. Facta sunt autem hæc annuente nobili femina *Luitkarda* prædicti *Heinrici* relicta qua prædiorum viri sui vsum fructuarium tenens pro animæ ipsius remedio nre assensum præbuit, huius compositionis rationabili pacto in nostra manu, firmo, & scripti præsentis nostri sigillo insigniti cautione roborato. Actum *Salzburg* præsentibus, testibus, quorum nomina subscripta sunt. Comes *Luitoldus de Blegen*, Comes *Sigifridus de Prelltain*. De ministerialibus *Sigboto de Suriberch*, *Wilhelm de Wegingerberge*, *Otto de Pongorve*, *Marquardus de Vbzeling*.

IN nomine sanctæ & indiuidue Trinitatis. *Eberhardus* Dei gratia *Babenbergensis* Episcopus II. Quamuis neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Scientes tamen, quod vnus quisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, notum fieri cunctis Christi & Ecclesiæ fidelibus, cupimus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter dilectissimi Domini ac fratris nostri venerabilis *Iuuauensis* Archiepi *Eberhardi*, sed & dilecti filij nostri *Gerhobi Richerspergensis* Præpositi, nec non eiusdem loci dilectæ nobis congregationis piis petitionibus assuetes, ex consensu Ecclesiæ nostræ tam ex Clero quam ex ministerialibus, fideliumque fidelium nostro *Odoacri* Marchioni de *Stira* de quodam beneficio, q

à nobis habuit cum iam dicta *Richerspergensis* Ecclesia facere concambium concessimus, cupientes, absque Ecclesie nostrae detrimento praefata Ecclesie ex vicinitate praediorum in eius ius ex nostra ditione cedentium in pascuis, pratis, aliisque vtilitatibus plurima commoda prouenire, nostrique ob hoc in eodem loco ad Deum tam in vita quam in morte in bonum perpetuari memoriam. Itaque iam dicto *Odoacre* villam, quae *Munster* dicitur, cum viculis eidem villae adiacentibus in manum nostram resignante, ac restitutionem concambij de manu nostra in feudum recipiente de parte *Richerspergensis* Ecclesiae data sunt praedia quae iuris eorum erant in villa, quae *Rospach* dicitur, iuxta decursum fluij qui *Ghalbaba* nominatur: tres videlicet curtes villicales cum adiacentibus molendinis, itemque manso eidem villae contiguo, nec non & duabus partibus decimarum de tota villa simul & eorum viculis quibusdam villeg adiacentibus, insuper vero & alia praedia in confinio *Ini* fluminis taxatis redditibus, agri culti circiter XX, mansos ad rationem concambij. Haec itaque praedia cum pratis, pascuis & syluis eidem pertinentibus molendis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, exitibus, & redditibus, nec non & omnis generis vtilitatibus, data sunt per manum Comitis *Chuonradi de Pilssteine Iuuauensis* pariter, & *Richerspergensis* Ecclesiae Aduocati atque in manum Legatarij *Regingeri de Riede* nobilis viri Ecclesiae nostrae confirmata sunt de iure praedictarum Ecclesiarum, in ius Ecclesiae nostrae *Babenbergensis* Ecclesiae data est villa eidem *Richerspergensis* Coenobio contigua, quae *Munster* dicitur, cum adiacentibus sibi curtibus, seu viculis circa XX, mansos agri culti. Castro simul quod *Staine* dicitur cum agris adiacentibus & ripa ipsa, in quo situm est, quantum nos attinuit vsque ad medium fluminis *Ini*, duabus quoque partibus decimarum ex eadem villa, & viculis adiacentibus in rationem concambij deputatis. Haec itaque praedia cum pratis, pascuis, syluis, piscationibus, molendinis eidem pertinentibus, cum aquis aquarumque decursibus, exitibus, & redditibus & omni vtilitate quaesita, & inquirenda. Data sunt per manum Domini nostri Regis *Friderici* Ecclesiae nostrae Aduocati, & per manum iam dicti *Odoacri* de *Stira* ipsorum praediorum defensoris, nostra concessione & praesentia in manum Comitis *Pertholdi de Anedecks* de iure nostrae *Babenbergensis* Ecclesiae in ius & ditionem *Richerspergensis* Ecclesiae omnimodis transfundenda. Atque vt haec commutationis donatio firma & inconuulsa in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione hanc chartam inde conscriptam signari praecipimus. Testes quoque iam dictae donationis per aurem attracti sunt hi: *Heinricus* Dux *Saxoniae*, *Heinricus* Dux *Carintanus*, *Pertoldus* Dux de *Zaringe*, *Odoacer* Marchio de *Stira*, *Comes Ernestus* de *Hohenburg*, *Walterius* de *Mallentine*, *Ruopertus* de *Tuiren*, *Amigo* de *Ablegia*, *Friderich* de *Wellenheim*: Interfuere etiam *Peregrinus* Patriarcha *Aquilegensis*, *Illinus* Archieps *Treuirensis*, *Arnoldus* Archiepiscopus *Coloniensis*, *Ortlieb* *Basileensis* Eps, *Hermannus* *Constantiensis* Episcopus, *Chunradus* *Wormatiensis* Eps, *Ardicio* *Chumani* Eps, *Gervigus* *Concordiensis* Eps, *Wigbaldus* *Corbiensis* ac *Stabulensis* Abbas, *Marquardus* *Fuldensis* Abbas, *Adelpertus* Praepositus *Aquensis*, *Otto* Comes *Palatinus* de *Vitelinenspach*, & alij ex Principibus quam plurimi.

IN nomine sancte & indiuiduae Trinitatis: *Otto* Dei gratia *Frisingensis* Episcopus Venerabili fratri *Gerbobo* Praeposito *Richersperge* eiusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum. Iustitiae ac rationis ordo deposcit, vt caeque Apostolice sedis moderatione fuerint ordinata, praeciso totius usurpationis excessu nulla debeant à nobis refragatione turbari. Ea propter dilecte in Domino frater, tuis postulationibus benignum praebentes assensum, sicut à sancta Ro-

Et Romana Ecclesia tibi tuisque fratribus Priuilegio firmatum est, vt de terris⁷ quas propriis manib. aut sumptib. colitis, seu de animalib. vestris nullus decimas exigat: ita vt nos quoque tibi specialiter in terris, quas per nostrum Episcopum possides, tuo iusto labore cultis vel excolendis, seu de nutritura animalium tuorum decimas concedimus, presentis scripti priuilegio communimus, statuentes vt nulla deinceps Ecclesiastica secularisue persona eas inuadere aut iniungere qualibet occasione presumat, sed presentis scripti auctoritate semper tibi integre permaneant, tuis tuorumq; idoneis vsib. iugiter profutura. Vt autem haec nostra concessio firma & inuiolata omni tempore permaneat, literis eam notari, ac sigilli nostri impressione signari fecimus. Ego *Guntherus* Abbas S. *Stephani* subscripsi. Ego *Vdalricus* Decanus maioris Ecclesiae. Ego *Otto* Praepositus S. *Andree*. Ego *Hermannus* Praepos. S. *Petri*. Ego *Otmarus* Dec. S. *Andree*. Ego *Bertholdus* Can. maioris Ecclesiae. subscripsi. Data Pr. singa per manum *Rabeuini*.

Chuonradus Dei gratia *Pataviensis* Ecclesiae minister, Dilectis in Christo fratribus Ecclesiae *Richerspergen*. salutem in Domino. Ecclesia *Richerspergen* in qua Deo militatis fratres in Deo dilecti licet jure fundi ad Archiepiscopum *Salzburgens* respiciat, tamen ex ecclesiastico regimine attitulata est Ecclesiae nostrae vt potestata in diocesi *Pataviensi*. Quod cum ita sit sicut vos nobis nostrisque successoribus recognoscitis filialem obedientiam sic dignum & iustum esse censemus, vt & nos vobis recognoscamus paternae dilectionis & sollicitudinis pastoralis pia curam, proinde vinearum decimas quas ex auctoritate apostolica de laboribus vestris in villa *Chremesa* cum assensu praedecessorum meorum & in eo in presentiarum possideris vobis permanere concedimus. Insuper Ecclesiam plebalem nomine *Munseur* vobis in vicino adiacentem Coenobio vestro ea cautione anneximus, vt Ecclesiae vestrae Praepositi a nobis nostrisque successoribus in partem sollicitudinis vocati praesignatae plebis habeant prouidentiam super hac responsuri Episcopo *Pataviensi*. Vt autem haec nostrae liberalitatis concessio firma vobis vestrisq; in posterum successoribus permaneat, presentem chartam sigillo nostro comuni fecimus. Ego *Chunradus Patavi.* Episcopus laudo & subscribo. Ego *Adalbertus* Praepositus S. *Nicolai*. Ego *Marquardus* Praepositus *Nirvenbur*. Ego *Vdalricus* Praepositus S. *Hippolyti*. Ego *Hartvicius* Praepositus S. *Georgii*. Ego *Heinricus* Praepositus S. *Floriani*. Ego *Adalbertus* presbyter & Sacrista, Ego *Heinricus* Scholasticus subscripsi. Data *Pataviae* indictione prima.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Ego *Eberhardus* Dei gratia *Salzburgensis* Archiepiscopus *Gerhobo Richersper*. Praeposito perpetuam salutem. Ea quae rationabiliter inter personas maxime Ecclesiasticas aguntur, rationabiliter quoque confirmanda sunt, ne litis occasio in posterum, dum minus putatur, suboriri valeat. Notum igitur vniuersis Christi fidelibus, esse volumus, qualiter decimas patellae in *Halla* ex Dominicalibus nostris *Richerspergensis* Coenobii collatae, quae decimae a bonae memoriae *Balderico* Abbate Monast. *P. Petri* requisitae & obtentae sunt rationabiliter recompensatione redemimus, vt eadem patella nullas de cetero decimas persoluat: sed integra in usum *Richerspergensis* Coenobij ad seruitium fratrum ibi Deo militantium, nostra pontificali donatione permaneat. Haec autem recompensatio facta est de praediis cuiusdam *Heinrici Hallensis* cuius cognomen *Ferro*. Vt autem haec nostra recompensatio cunctis retro temporibus stabilis & inconuulsa permaneat, hanc inde paginam conferibi, & sigilli nostri impressione muniri iussimus. Actum in ciuitate *Salzburgensi* XII. Kal. Septembris. Ego *Eberhardus Salzburgensis* Archiepiscopus subscripsi. Ego *Hugo* Praepositus. Ego *Heinricus* Decanus maioris Ecclesiae. Ego *Hainricus* Abbas *Salzburgensis*.
Ego

Ego *Heinricus* Prior S. *Petri*. Ego *Albertus Houensis* Præpositus. Ego *Meginhardus* Capellanus & Notarius subscripsi.

A *Drianus* Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio *Gerhobo* Præposito *Richerspergensis* Ecclesiæ, salutem & Apostolicam Benedictionem. Effectum iusta postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis. Ea propter dilecte in Domino fili *Gerhobe*, petitioni tuæ gratum impertientes assensum, Ecclesiam ipsam cum omnibus bonis suis, quæ in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum iustis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati *Petri* & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem *Munsture* ac *Steine*, cum omnibus pertinentiis suis, eidem Ecclesiæ, sicut ea venerabilis frater noster *Eberhardus Babenbergens*. Episcopus in concambium rationabiliter dedisse cognoscitur, & parochiam de *Munsture*, quæ venerabilis frater noster *Chunradus Pataviens*. Episcopus rationabili prouidentia Ecclesiæ *Richerspergensis* concessit, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerit, nisi fortè excommunicati sint, vel interdicti, nullus obstat: salua tamen iustitia parochialium Ecclesiarum, de quib. mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis, & concessionis infringere, aut ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, & secundò tertiodue commonitus, reatum suum digna satisfactione non emendauerit, indignatione omnipotentis Dei & B. *Petri* & *Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursum, & excommunicationis vinculo innodandum. Data *Anagnia* XVII. Kl. Septemb.

E *Berhardus* Dei gratia Ecclesiæ *Salzburgen*. Archiepiscopus, dilectis in Domino filiis *Gerhobo Richerspergensis* Præposito, & eius fratribus, salutem & sinceram in Christo dilectionem. Quia nostri est officij, ut in dispensatione nobis credita, religiosas & in Dei seruitio deuotas personas manu teneamus, & conseruamus, vobis in hoc tantò deuotiores existimus, quantò vos attentius in Dei seruitio & religionis obseruantia studere cognoscimus. Vnde concessionem in *Bambergensis* Ecclesia, vobis verbo nostro factam, scripto quoque nostro firmatam decernimus, vobis, vestrisque successoribus inuiolabilem permanere, ut videlicet vnus de vestris curam plebis administret, salua in omnibus iustitiâ nostra, nostrorumque successorum, adiicimus etiam, ut si quod absit persona de vestra congregatione, in hoc ministerium assumpta, vel in religionis disciplina, vel in commissi gregis prouidentia, vel in dilectione ac fidelitate erga claustrum suum custodienda, min⁹ quam oportet cauta inuenitur, & secundò ac tertio coram Archiepiscopo commonita, non resipuerit, vitiaque notata, non emendauerit, liberum sit Præposito, consulto primum *Salzburgenis* Archiepiscopo, cum eius consensu, personam illam retrahere ad claustralem distributionem, atque in eius locum subrogare alium de manu Archiepiscopi regulariter inuestiendum, nec tamen à regulis claustrum, quantum possibilitas permittit, seruandis, vlllo modo eximendum. Ut autem hæc nostra concessio firma & inuiolata in posterum permaneat, chartam hanc inde conscriptam, sigillo nostro communiri fecimus. Data *Salzburgi* VI. Idus Iunij. Ego *Eberhardus* Archiepiscopus subscribi. Ego *Hartmannus Brixinensis* Ep̄s, Ego *Romanus Gurcensis* Episcop⁹. Ego *Hugo* Præpositus. Ego *Heinricus* Decanus maioris Ecclesiæ. Ego *Heinricus* Abbas *Salzburgen*, Ego *Vdalricus Chimēsis* Præpositus subscripsi.

Eber-

Eberhardus Dei gratia *Salzburgensis* Ecclesie Archiepiscopus. Pastoralis est officij murum se ponere pro Domo *Israel*, maximè ad Deo famulantium personarum profectiorem contra incursum malorum. Qua consideratione præ oculis habita, cum fratres Cœnobij *Richerspergensis* paterentur graues infestationes à quodam subaduocato contra fas & ius introducto, nos eiusdem Cœnobij priuilegia considerauimus, in quibus hoc patenter animaduertimus: quod prædictus locus à beatæ memoriæ *Werinhero* & nobili eius vxore *Dietpurga* sic est fundatus, atque à sanctæ recordationis *Gebeardo*. Archiepiscopo antecessore nostro, ea conditione in ius & patrocinium *Salzburgensis* Ecclesie susceptus, vt nullus eiusdem loci sit aduocatus, nisi principalis ipsius Metropolis *Salzburgensis* aduocatus, qui videlicet de beneficio principalis aduocati sibi collato, prædictum Cœnobium sine omni grauamine defendat, contentus nimirum iustitia bannorum, quorum duo in vsum Præpositi & fratrum, tertium in vsum ipsius aduocati cedat, non quod ipsam tertium bannum cuiquam in beneficiandi potestatem habeat, quanquam illum, postquam acceperit cui uoluerit, possit dare, nec subaduocatum iure beneficiati constituat illic. Vt ergo libertas loco illi à fundatorib. destinata & priuilegiis apostolicis confirmata, inconcussa permaneat, nos quoq; præfenti pagina sigillo nostro comunita, omninò interdiximus, ne loco illi vllus deinceps à principali aduocato, per ius beneficiale subaduocatus ponatur: quoniam subaduocati tales tam synodalib. quam etiã imperialib. iudiciis abiudicatae sunt, sanè hoc annuim⁹, vt si Præpositus eiusdem loci expetierit, aliquè sibi destinari à principali aduocato, qui vt eius inibi vicè agat, committatur ei talis procuratio absq; iure beneficiati quãdiu placeat Præposito & congregationi: cui si fuerit grauis, aut inutilis, remoueatur, & vtilior in eius locum simili tenore statuatur, ea libertate permanēte, vt colonis eiusdem loci nulla censuralis exactio imponatur, neq; in auena neque in tritico, neque in denariis aut aliquo libet grauamine. Quoniam à talibus grauaminib. hucusque locus ille fuit immunis, excepto solo tempore schismatis, quo schismaticus *Pertboldus Tiemoni* Archiepiscopo superpositus, eundem locum laicis in beneficiando, & Canonicos regulares inde fugando quædam grauamina illic fuscitauit, quæ beatæ memoriæ *Chunrado* Archiepiscopo proximo antecessor nostro forti manu iubmouit, & pristinam libertatem atque regularem vitam, loco illi renouauit, in qua iam per annos circiter XXX. quiete bona fruens permansit eiusdem loci congregatio, propulsante iniquorum violentias iam dicto *Chunrado* Archiepiscopo. Quia libertate loci ipsius prouocati nobiles quidam Christi fideles, bona & prædia sua eidem Cœnobio contulerunt, qui etiam eorundem prædiorum aduocatas à principali aduocata segregauerunt, & talibus aduocatis destinauerunt, quos pro sui vicinitate vtilis aestimauerunt, ad respondendum in colloquiis iudicialibus, in quibus non auditur subaduocatus & res periclitari poterit, si legitimus aduocatus defuerit. Igitur aduocati hucusq; à principali aduocata segregatae sic maneant in posterum, sicut hætenus manserunt, absque insolito & iniusto aduocatorum grauamine. Quod si & illi tentauerint contra voluntatem Præpositi fuscitare, sciant se iudicio diuino puniendos & humano quoque, in quantum possibile ac iustum fuerit, arcendos. Causæ verò huius quæstionem & veritatis inuestigatione, quo firmior esset nostra institutio, in celebri colloquio *Halle* habito, quærimoniam Præpos. *Gerhoho* mouēte, præstauim⁹ assentientib. illic nostris fidelibus, quorū plurimi aderāt, nullo iure beneficiati posse aut debere subaduocatum loco prædicto institui, cōcordante in hoc ipsū iudicio synodalis autoritatis, & imperialis maiestatis. Si quis igitur nostræ pagine tenorē temerè violare, aut infringere præsumperit, si non secundo aut tertio comonitus emēdaue,

daue.

dauerit, sciat se Deo & iudicibus Ecclesie rationem redditurum & pœnas condignas subiturum, ac nisi ante finem vitæ suæ respiscendo satisfecerit, Christianâ sepulturâ cariturum: sicut in *Remensi* Concilio statutum est, præsidente Papâ *Eugenio*, cuius decretum illic, vniuerso Concilio approbante, promulgatum sic se habet: auctoritate Apostolica prohibemus vt nullus Aduocatus, præter beneficium antiquitus constitutum, aliqua sibi recipere, vel vsurpare præsumat: subaduocatus verò, vel exactores eorum, modis omnibus ab Ecclesiarum infestationibus remoueri præcipimus. Quod si quis contra hanc prohibitionem attentare præsumpserit, Christianâ careat sepulturâ. Huic Apostolico decreto, etiam imperiale concordat edictum ab Imperatore *Fridrico*, vniuersis Imperij sui principibus indictum & scripto comprehensum, quod ita se habet: Illicitas etiam exactiones, maximè ab Ecclesiis, quarum abusus iam per longa tempora inoleuit per ciuitates & castella, omnimodo damnamus & prohibemus, & si factæ fuerint, in duplum reddatur. His sulti autoritatibus, etiam hoc nostræ salubri constitutioni annectimus, vt nec ipse principalis Aduocatus, nec aliquis ab eo missus, prædictum Cœnobium grauare præsumat, seruitia immoderata illic exigendo, aut placita nimia illic statuendo: sed quoties necesse fuerit, ipse Aduocatus vel eius missus, non nisi Præposito aduocante, ac seruitium decens præparante, adueniat, & placitum suum, iuxta beneplacitum Præpositi & congregationis, illic habeat, causâ idoneâ exigente, quod exinde rarissimè continget. Quia principalis illic aduocatus sic est angusta, vt vix continget mansos XII. cultilis terræ, aut paulo plus. Quia reliqua ipsius Cœnobij prædia in segregatis, & vt est prænotatum, aduocatis comprehensa sunt quoniam aliter ab impugnantibus defendi non potuerunt. Vnde etiam volumus & statuimus, vt propter futuras cautelas, prædia quæ Deo miserante impotenter loco accesserint assignentur aduocatis talibus, à quibus in placitis iudicialibus proloquiij defensionem possint è vicino habere; ne longinquos aduocatus aduocandi, vel impossibilitas vel difficultas in detrimentum veniat, & absente legitimo prolocutore prædia, quæ impugnantur, Ecclesia perdat, quod frequenter accidisse comperimus. Prædicto autem colloquio nostro, super ista quæstione habito, in loco qui dicitur *Halle* idonei approbatores intertuerunt, quorum ista sunt nomina: *Hugo* Præpositus maioris Ecclesie *Salzburgensis*, *Heinricus* Abbas *S. Pétri*, *Valtricus* *Chiemensis* Præpositus, Laici nobiles: *Chunradus* Comes de *Pilstein* iunior, *Erchenbertus* de *Mosbach*, *Burchardus* de *Steine*, *Karolus*: Ministeriales Ecclesie *Salzburgensis*, *Hartnidus* Castellanus, & *Marquardus* frater eius, *Otto* & *Wysint* de *Pongorwe*. *Ecokehardus* de *Tanne*, *Luitpolt* de *Walde*, *Wilhelmus* *Chunradus* de *Chalheim*, *Pabo*, *Ruodgerus* Castellanus *Hallensis*, *Ottha*, *Heinricus*, *Albertus*, *Heinricus*, *Laubez*, *Hugo*, *Otto*. Data *Salzburgæ* XIV. Kal. Septemb. Indict. VIII.

Eberhardus Dei gratia *Salzburgensis* Ecclesie Archiepiscopus, *Eberhardo* venerabili *Babenbergensis* Ecclesie Antistiti, deuotas orationes cum fraternæ dilectionis obsequio. Causam semel decisam resuscitari non conuenit, maximè inter Ecclesiasticas personas, prout nouit prudentia vestra. Fuit autem quædam contentio inter Ecclesiam *Salzburgens.* & *Babenbergens.* de tertia parte decimarum quorundam noualium in monte qui dicitur *Grimberg*, quæ hoc modo, sicut nostris decisa est, vt nos competentem recompensationem accepta, ipsas decimas noualium iam cultorum, & adhuc excolendorum, in prædicta videlicet villicatione, per nostram concessionem & confirmationem possideret Ecclesia *Babenbergens.* in perpetuum: quod ita factum est. Nam & nos, ex parte vestra

& fratrum *Richterpergensium*, competentem recompensationē, videlicet *Houham* vnam in *Enital*, & piscationē quandam in villa quæ dicitur *Chrovvat*, accepimus, & Ecclesiæ *Babenbergensis* prædictas decimas firmavimus, Dñi Episcopi *Gurcensis*, & aliorum Ecclesiæ nostræ fidelium annuente consilio & assensu. Nunc verò id ipsum firmantes præsentis scripto sigilli nostri impressione roborato rogamus, vt fratres nostros *Richterpergensis* Ecclesiæ Canonicos, quorum causa contractum hunc fecimus, de cætero non inquietetis, aut ab aliquo vestrorum sinatis inquietari, quasi de negotio isto adhuc p̄dulo, cum & vos p̄fidatis decimas prænotatas, & non habeamus recompensationem taxatam. Ne autē post hoc in dubiū reuoectur, quod rationabiliter cum assensu & collaudatione Prælatorum Ecclesiæ nostræ actum est, præsens pagina sit in testimonium & testamentum firmissimum. Datum *Saltzburgi*. Idus Iulij, anno M.C.LXI.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Eberhardus* Dei gratia *Inuuentensis* Archiepiscopus, prædecessorum statuta, iusta, & rationabilia, successores debet inuiolabiliter custodire, maximè q̄ conducunt ad augmentū religionis, & sustentamentum Deo seruientium. Ea propter nos considerata beata memoria, prædecessoris nostri *Chunradi* Archiepiscopi largitione in decimis duarum parochiarum *Putinensis* & *Brambergensis*, atque noualium vicinorum cultorū, partim excolendorū, in vsū Cœnobij *Richterpergensis*, concessione ipsius ratam habemus & in perpetuū ratam volumus & decernimus habendam. Quia in eiusdem prædecessoris nostri privilegio termini australes, huius donationis ambiguo nomine montis *Hartberg*, sunt præfixi & exinde fuit occasio contentionis inter collectores decimarum, nobis & prædicto Cœnobio pertinentium, certiorē præfigimus terminum, videlicet fluuium, qui dicitur *Pincha*, vsque ad cuius ripam noualia in sylua *Putinensi*, ad præsens culta, & in posterum colenda, excepta canonica portione plebanorum, in decimis fructuum terræ atque animalium, proueniunt in vsus fratrum regulariter conuersantium in præfato Cœnobio. Quæcunq̄ autem secularis aut spiritualis persona, quod à beata memoria, prædicto antecessore nostro piè ordinatum, & à nobis nihilominus piè, ad cultum pietatis roboratum est, aliquo modo in irritum duxerit atque in hoc præfatum Cœnobium temere perturbauerit, & secundò ac tertio commonita, non respuerit, iram Dei sentiat in interitum carnis, vt spiritus saluetur per veram penitentiam, sine qua si morietur in ultimo examine reddet rationem, coram summo iudice. De salubri sanè dispositione nostra, præsens pagina conscripta & sigillo nostro impressa data est in castro *Strasburg*, indict. IX. VIII. Idus Septembr. huius rei testes & collaudatores hi sunt, quorum nomina subnotauimus. *Romanus Gurcensis* Episcopus. *Hugo* Præpositus maioris Ecclesiæ. *Godefridus* Abbas *Admontensis*. *Romanus Gurcensis* Præpositus. *Hecil* Abbas *Osciensis*. *Pilgrimus* Abbas S. *Pauli*. *Wernherus* Præpos. *Secovvensis*. *Chuno* Præpos. *Sabonensis*. Magister *Adalbertus* de *Houen*. *Hademar* Archipresbyter *Frisacensis* plebanus. *Engelrammus* de S. *Maria* Archidiaconus. *Zoll Otacher* Archipresbyter de *Vischab*. & Capiculum *Frisaci* habitum, cuius in audientia causa hæc fuit proposita, quo & annuente, per consilium rationabiliter acta est, prædicti Cœnobij Præpos. *Gerhoho* eligente potius consilium quam iudicium.

E*berhardus* Dei gratia *Saltzburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus, dilecto fratri *Gerhoho Richterpergensis* Præposito, eiusque fratribus in perpetuum. Dispensatio nobis, vt Apostolus ait, credita est, vnde in commissio fideles, non solū in Spi-

ritualib. verū etiā in temporalib. fidei dispensatione, vti volumus. Itaque fratres charissimi, vobis vestrisq; successorib. imposterum, quæcunq; à beata memoriæ *Chonrado* Archiepiscopo, vestris vrb. donata sunt, rata vobis & illibata esse volumus. Quoscirca donationē patellæ, quam idem prædecessor noster vobis in *Halla* fecit, non solum ratam esse volumus & firmam, verum etiam ampliamus, addendo vobis eiuldē patellæ decimationē, quæ pridem ad Abbatiam Beati *Petri* pertinet, inde per legitimum concambium in nostram potestatem redacta, collaudationem fratrum nostrorum clericorum, & fidelium laicorum ministerialium, nostra vobis donatione obuenit, vt ergo firma sit hæc nostræ largitatis dispensatio, paginam hanc inde conscriptam nostra subscriptione, atq; sigilli nostri impressione firmamus. Ego *Eberhardus* Dei gratia *Salzburgensis* Archieps subscripsi. Ego *Heinricus* Abbas S. *Petri* subscripsi.

F *Ridericus* Dei gratia *Rom.* Imperator & semper, Augustus, *Eberhardo Salzburgensi* Archiepiscopo gratiam tuam, & omne bonum. Dignum æstimamus, vt hi qui tribulationibus nostris & imperij personarum seruitio & rerum dispendio hactenus fideliter communicauerunt à Domino, qui consolatur nos in tribulatione nostræ consolationis, gaudia recipiant, & felicissimis euentibus nostris, ac gloriosissimis triumphis quales nulli antecessorum nostrorum concessos esse credimus grata vicissitudine participant & congratulentur. Tuæ ergo dilectioni, quæ omnem honorē nostrum sitibundo pectore, anhelare, luce clarius constat significandū duximus. Quia in virtute Dei per quem Reges regnāt & potentes faciunt iustitiā, felicē & gloriosā de *Mediolano* victoriam cum plenitudine honoris adepti sumus: in Calendis enim Martij prima videlicet die mensis hostis imperij *Mediolanum* submota omni simulatione fraudis, qua in prima deditioe dolose nos circumuenit summa necessitate famis & inediæ coacti ad curiam nostram apud *laudam* venerunt, & nudos gladios in ceruicibus suis deferentes, & maiestati nostræ reos se esse proficentes, personas, res ipsamq; ciuitatem absq; omni tenore & sine aliqua conditione interposita in nostrā potestatem cum plena deditioe reddidere: præterea *iv. Nonas* eiusdē mensis *Mediolanenses* cum omni militia & virib. ciuitatis ad nos redeuntēs vexilla & vniuersa signa bellica clauēsque ciuitatis & Consulatus dignitates maiestati nostræ resignauerunt resutantes omnia genera armorum, omnem potestatem, nisi quam cū gratia & permissione nostra possent obtinere, iurauerunt insuper quæcunq; eos jurare fecimus, scilicet quod vniuersa mandata nostra sicut de personis & rebus & de ipsa ciuitate ordinaremus bona fide & sine fraude obseruarent, & de his omnibus obseruandis eccc. obsides meliores & maiores de ciuitate nobis dederunt. Ex sententia ergo diuina cuius iudicia abyssus multa, qui frangit omnem superbum, ne de cætero prædictis hostibus occasio malignandi & facultas rebellandi præstetur, fossata complanamus, muros conuertimus, turres omnes destrui⁹ ipsamq; ciuitatem in ruinam & desolationē sicq; ad promouenda alia negocia & ad plenariā imperij reformationem exercitum nostrum & victrices aquilas feliciter conuertemus. De cætero dilectos & fideles nostros nuncios *O. Veronensem* Ep̄m & C. Capellanum nostrum in occursum sibi apud *Tridentum* transmittim⁹, qui iuxta magnificentiam imperij & honorem tuum ad Curiam nostram te perducant.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Fridericus* Dei gratia *Romanorum* Imperator Augustus, *Gerhoho Richerspergensis* Præposito & successorib. eius in perpetuū. Si loca sancta honoramus & Deo seruientiū quieti pro nostro iure, puidemus.

demus. Credimus per hoc & summa diuinitatis gratiam repropitiare, & coronam imperij lapidibus illis vere preciosis exornare, qui iugiter assistunt ac fulgent ante Deum, & sub nostrae protectionis tuitione tranquilla ei pace tam pro nostra, quam pro sua salute deseruiunt, vnde notum esse volumus, Imperij nostri fidelibus vniuersis, tam futuris quam presentibus, quod nos benigno assensu annuente, piis & iustis postulationibus, tuis *Gerhohe Richerspergensis* Praeposite, interuentu fidelium nostrorum, videlicet *Eberhardi Saltzburgerensis* Archiepi & *Eberhardi Babenbergerensis*, & *Harthmanni Brixinensis* Episcoporum, ipsum *Richerspergensis* Coenobium Canonicorum regularium in Comitatu *Perchtoldi* Comitis de *Andechs*, iuxta fluvium *Ennum* situm, in pago quem transit fluvius *Antesin*, a quodam nobili viro *Wernbero* fundatum & Ecclesiam *Saltzburgerensis* iure proprietatis collatum, (salua in omnibus Archiepi *Saltzburgerensis*, quae praelibata est iurisdictione) nos in nostrae Imperialis maiestatis, & oium successorum nostrorum, regum & imperatorum, tutelam suscepimus, statuente & firmiter praecipiente, secundum antiquam & primitiuam illius loci libertatem, ab ipso fundatore collatam & priuilegiis venerabilium Archiepiscoporum, *Chunradi* & *Eberhardi* roboratam, vt nullus aduocatorum, siue ipsius loci, siue praediorum ad ipsum locum pertinentium praesumat, aut facultatem habeat, illic sub aduocatores ordinare, sub titulo beneficiariae concessionis, aut exactiois & grauamina indebita, fratribus praedicti loci, seu ministratoribus, aut colonis superimponere. Quod si quandoque ex consensu Praepositi & fratrum principales Aduocati aliquem sibi procuratoris officio subsecundauerint, ultra beneplacitum Praepositorum, qui pro tempore ibidem praefuerint, & fratrum suorum in administratione aduocatae nullatenus permaeat. Adiciamus autem & imperialis maiestatis auctoritate ac lege in perpetuum valiturae statuimus, vt bona praedicto Coenobio siue collata siue adhuc Domino praestante conferenda nullus inuadere, aut inde quolibet modo alienare, aut ipsum locum despoliare, seu diuertiare praesumat, nisi coram legitimis iudicibus iuste & legaliter iustitiam suam comprobauerit. Specialiter autem ipse locus Deo dicatus, nostrae imperialis largitionis beneficio immunitate gaudeat, & nulla iudicaria, saecularisue potestas licentiam habeat ibi placitandi, concionandi, aut quaelibet iura saecularia exercendi, quae fratrum inibi Deo militantium, secundum regulam *Beati Augustini* quietem interrumpere valeat, quod absit, aut disturbare. Si qua vero persona temerario ausu, contra hoc priuilegium nostrum venire tentauerit, & secundo tertioque commonita non emendauerit, banno nostro subiacet, & XXX. libras auri purissimi ad Cameram nostram, persoluat. Ego *Vdalricus* Cancellarius vice *Reinaldi* *Colonensis* Archiepiscopi & Archicancellarij recognoui. Data *Papiae* post destructionem *Mediolani* II. Non. April. Indictione X. regnante Domino *Friderico* Imperatore gloriosissimo, anno regni eius X. Imperij vero VII.

Eberhardus DEI gratia *Saltzburgerensis* Ecclesiae Archiepiscopus, glorioso & victorioso *Bavvariorum* & *Saxonum* Duci *Heinrico* sinceram dilectionem, & omne bonum. Quia Ducibus tanquam a Deo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, hoc debet Ecclesia, vt pro eorum salute, diuinam clementiam iugiter exoret, conueniens est, vt & ipsi pro pace ac defensione fidelium sanctae Dei Ecclesiae laborent, vnde rogamus nobilitate vestra, in ea fiducia qua vobis Ecclesia *Saltzburgerensis* confidit, vt *Richerspergensis* Coenobium, quod quantum attinet ad possessionem legitimam, cum oibus quae ad ipsum pertinet, nostri est iuris, & quantum ad regimen saeculare, vestram celsitudinem respicit specialiter

habeatis pietati ac principatui vestro commendatum, iure vestro contra iniuriosos defendendum & manu tenendum: dilectum quoque fratrem nostrum *Gerbohū*, eiusdem Cœnobij Præpos. tum pro nostri dilectione, tum pro beatæ memoriæ patris vestri *H. Ducis*, cui Præpos. idē fidelis, & familiaris extitit, vt plurib. vestrorum est notum: vos tanquā paternę pietatis herēs, in eadem gratia foueatis, & manu teneatis. in qua eum pater vester habuit: & vbiunque vel eius persona, vel prædicta congregatio vestræ defensionis indiget solatio & auxilio, cōtra iniquorum violentias, vos eius tutelæ secundum iustitiā dignemini prouidere. Aque hoc ipsum vicinis eius, quos ipse nobis designauerit, attentius commendare curetis, vt iam dictum Cœnobium vestræ defensionis per nos commissā causa Dei vt vestri tueantur contra omnes violentias iniquas. Porro si quis aduersus ipsum Cœnobium vel habet vel habebit querelam, vestræ sit potestatis, tam ex iure vestro, quàm ex commisso nostro, causam ventilare, ac secundum iustitiam terminare saluo iure Aduocatorum super eiusdem Cœnobij prædij per nos constitutorum, semoto iniquo grauamine ac nomine subaduocatorū, tam spirituali quàm seculari iudicio abiudicatorum, nisi quantum admittuntur ex consensu eorum, qui Ecclesiis præsidet. Quibus & si fuerint importuni vel iniuriosi, eorundem petitione debent submoueri: quia vocati sunt ad istam subaduocatię procuracionem non prius beneficij, sed per conuentionē gratiū beneplaciti. Atque vt hæc nostra commendatio nulla dubietate vacillet, sed memoriale certum vobis vestrisque in ducatu successoribus perseueret, chartam hanc inde conscriptam, & sigillo nostro cōmunitam in prædicto Cœnobio conseruari præcepimus.

IN nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Ego *Heinricus Dux Bavaria* simulque *Saxonia*, à venerabili Archiepiscopo *Saltzburgensi* vocatus in Aduocatiā prædij, quod dicitur *Munsteur* mutuati ab Ecclesia *Babenbergensi*, cum suis appendiciis, in privilegio *Babenbergensis* Episcopi comprehensis, & in possessionē *Richerspergensium* fratrum legitima delegatione iure aduocati susceptis, confirmo isto præsentis scripto, vt hæc ipsa, quam suscepi, Aduocatiā semper ab iniquis grauaminibus libera permaneat, nullus ibi, vel ex parte mea, vel mihi succedentium statuatur vel exigat sibi à colonis' tribuendum, vel quoquomodo in vsus suos' redigendum, præter tertios bannos', iuxta consuetudinem antiquam, Aduocatis persoluendos. Nam duo pertinent ad Ecclesię satisfactionem, pro damnis illatis emendandis. Et quia Ecclesia in emendatione damnorum non quærit, nisi simplum sibi restitui, quod tamen leges imperiales in duplum, vel amplius iubent reddi. Si quis malefactorum in prædio sub hac Aduocatiā comprehenso, damnum fecerit, & sine auxilio Aduocati vel eius missi non poterit ad emendationem prouocari vel coactari, damnum simplum Præposito restituar: quod verò insuper ad compositionem illatę iniurię requirendū iure iudicabitur, aduocato vel eius missi in vsu suum perueniat. Quia dignus est operarius mercede sua. Quanquam nos in hac Aduocatiā præcipuē ac solummodo celeste requiramus præmium, nostrisque successoribus, requirendum statuamus. Annectimus prætera, vt nulli subaduocato vel qualicumque principali Aduocati missi, hæc Aduocatiā beneficiā concedatur iure sed ita ei cui Præpos. postulauerit cōmendetur, vt eodē vel congregationē postulante valeat submoueri. Si tamē constiterit eū esse inutilem aut damnosum, & hoc secundo tertio cōmonitus, emendare neglexerit, id autē & q. ipse nō poterit emendare, ad nostrā, vel successoris nostri personā referre debet q. ex officio ducat', pariterq. Aduocatię non sine causā gladiū portam'. Ne autem

rem nostram hæc institutio in posterum valeat imminui aut mutari, nostro eam sigillo roboratam successuris temporibus in Cœnobio *Reicherspergensis* volumus conferuari.

Anno incarnationis D. N. Iesu Christi M. LII. Generosus Dñs *Wernherus* Comes de *Playn & Almstain*, & vxore eius *Dierberga* de *Schwarzenwald*, defuncto eorum filio *Gebhardo*, è castro firmissimo *Reichersperg* Monasterium extrui fecerunt: in quo præfatus Comes vxore defuncta habitum sanctæ Religionis *Augustiniane* suscepit, vitamque regularem in eo feliciter finiuit: Anno. M. LXXXII.

Catalogus Præpositorum.

- I. **BERBINVS** vir nobilis ac discretus, An. Dñi M. C. X. à Dn. **CONRADO** Archiepiscopo *Saliburgen*, è *Saxonia* vocatur, & primus Ecclesiæ huic Præpositus præficitur. Postea vim hæreticorum fugiens, in propria Episcopus eligitur.
- II. **BERBINO** in *Saxonia* recedente hæresis & desolatio Ecclesiam inuaserunt *Reicherspergen*. His resistere cupiens Dn. **GOTSCHALCVS** Præposituram suscepit: at rebus non ex voto succedentibus, eandem libere resignauit.
- III. **GERHOVS** SS. Theologiæ Doctor insignis tertius huius loci Præpositus creatur an. M. C. XXXIII. Hic plurimum in corrigendis Magnatum moribus laborauit: ac Monasterium sanctimonialium D. *Virginis* primum fundauit.
- IV. **ARNO**, frater Dn. *Gerbobi*, à quo regimine vestigiis fratris sui strenue inhæsit, hic ad synodum *Romæ* habitam Canonicos suos misisse legitur.
- V. **PHILIPPVS** D. *Gerbobi* discipulus eligitur an. M. C. LXXV. Hic post binam resignationem tertio Præpositus creatur: vir morum honestate ac vitæ integritate ornatissimus, & cum vixisset annos ultra nonaginta, diem obiit.
- VI. **RICHERVS** vir discretus & sagacis ingenij eligitur Præpositus ann. M. C. LXXXI. tertio Non. Febr. Hic cum elapsis tribus annis Præposituram libere resignasset, præfatus Dominus *Philippus* secunda vice regimini præficitur.
- VII. **GERLOHVS**, discipulus Dn. *Gerbobi*, Ecclesiæ Metropolitanæ *Saliburgen*: Canonicus, ob virtutum ornamenta ad professionis suæ domum à Conuentu *Reicherspergen*. an. M. C. LXXXIV. reuocatur, & Præpositus vnanimi consensu constituitur. Cumq; regnasset an. X. longa corporis infirmitate oppressus Præposituram spontè resignauit.
- VIII. **OTTO** *Claustri Neuburgensis* Canonicus, Episcopi *Patauen*. Dn. *Guolfheri* consanguineus litteris vocatus, anno Domini M. C. LXXXIV. resignante Dn. *Gerloho* Præposituræ onus subiit. Elapsis verò sex mensib. à Fratris suis *Neuburgensis* Præpos. creatur. Ipso discedente prædictus *Philippus* tertio eligitur.
- IX. Anno Dn. M. C. XCV. posteaquam *Philippus* obiisset, **ARIBO**. parochus in *Promberga Austria* inferioris præses huius loci designatur. Cum verò nec spiritualium nec temporalium rerum videret incrementum, impetrato prius annuo reddito libere resignauit. in Monasterio S. *Nicolai* postea mortuus ac sepultus legitur.

- X. HERMANNVS, resignante Dn. ARIBONE clauum regiminis suscipit. Hic variis infortuniis ac aduersitatum procellis agitatus, obdormiuit anni post Christum natum MCCI.
- XI. LEONHARDVS vir pacificus an. M. CC. I. dignitate Præposituræ decoratur, & post resignationem, Monasterio *Oberndorff* in *Carinthia* cum consensu fratrum Præpositus præficitur.
- XII. HERTFRIDVS de Choro *Salisburgen* in Præpositū vocatur an. Dn. M. CC. VI. cumque vt homo ignauus aliquamdiu malè præfuisset resignauit.
- XIII. ORTOLFVS antea huius loci Oeconomus, eligitur an. M. CC. IX. sub huius regimine maxima Monasterij ac subditorum eius damna emerere.
- XIV. HEINRICVS creatur Præpositus an. M. CC. XVIII. Huius tempore Dñi de *Waldeckh* *Morspach* & *Schönanger* bona Monasterij violenta tyrannide diripuerunt.
- XV. FRIDERICVS, generosus Comes *Ortenburg*, eligitur an. M. CC. XXVII. fratrum suorum amantissimus: factus postea Præpositus *Berchtesgaden*.
- XVI. VDALRICVS *Paumgarten* & *Waldeckh* Baro Præposituræ insignitur dignitate an. M. CC. XXXI. & hic quoque Fratres suos vnice diligebat: ac elapsis annis quatuor libere resignauit.
- XVII. Mgr CHVNO Præposituræ functionē adipiscitur an. M. CC. XXXV. Is postea resignato munere *Salisburgum* ad fratres maiores se contulit.
- XVIII. VDALRICVS de *Viechtenstain* elig. an. M. CC. XXXVI. moritur *Vienna* an. M. CC. L. & sepelitur in Monasterio *Prædicatorum*.
- XIX. HARTWICVS Parochus in *Pramberg* Præposituram suscipit an. M. CC. LI. & annis penè quatuor proinde peractis resignat.
- XX. GVNDACKARVS, designatur Præpos. an. M. CC. LIV. qui cum plurimam à vicinis Magistratib. damna & incommoda pertulisset, Præposituram sponte resignauit.
- XXI. GEROLDVS Canonicus *Ransbouiannus* in Præpositum vocatur an. M. CC. LIX. Hic post labores graues & vtilis quos pertulit resignauit.
- XXII. HENRICVS an. M. CC. LXIV. Præposituræ cœpit præesse. Hic cum antea parochiam rexisset *Prambergensem*, ibidem & postea permansit, bona *S. Michaelis* dissipans, ideoque depositus est.
- XXIII. WALTHERVS ex Monasterio *Ror* reuocatus, in huius loci præsidē deputatur Anno M. CC. LXVIII. Hic ob Fratrum amorem, vitæ honestatem, bonorum Monasterij & vitæ Regularis restaurationem optimus Præpositus est dictus.
- XXIV. SEIFRIDVS Præposituræ præesse cœpit an. M. CC. LXXXI. & ann. regiminis sui VII. animam Deo reddidisse legitur.
- XXV. CONRADVS de *Radecgkh*, vir prudens ac honestus eligitur An. M. CC. LXXXVIII. qui cum magna dexteritate annos regnasset octo, piè obiit.
- XXVI. VDALRICVS eligitur. Anno M. CC. XCVII. rexit verò annis quatuor.
- XXVII. FRIDERICVS *Dräntnacher* electus anno Millesimo Trecentesimo primo rexit an. VI.

- XXVIII. RICHERVS præficitur an. m. ccc. vii. rexit, an. Septem.
- XXIX. OTTO creatur, an. m. ccc. xiv. præfuit, an. v.
- XXX. CHRISTANNVS Parochus in *Ettlitz* loci huius procuratori vice-Præpositus datur. Cum enim antecessorum quidam sine fruge gubernassent, ad damna Monasterij resarcienda Administratores eligebantur.
- XXXI. CONRADVS *Ebrnreich* anno m. ccc. xxv. in vice Præpositum eligitur. Hic anno fide dispensationis suæ V. obiit.
- XXXII. HERMANNVS designatur Præpositus, anno m. ccc. xxx. postea verò ob illaudatum regimen, ac alias easque diuersas causas depositus legitur.
- XXXIII. ORTOLEVS de *Teuffenpach*, Canonicus *Pataviensis*. Archidiaconus *Maticensis*, Plebanus in *Maurkirchen*, nec non Illustrissimi Principis *Bavariæ* Cancellarius, in vice Præpositum rogatur, anno m. ccc. xxxv. Hic immensa Monasterio annis vndecim bona contulit.
- XXXIV. DIETMARVS de *Perghaim* Præpositus creatus est, anno m. ccc. xlvi. qui annis xl. benè præfuisse Monasterio legitur.
- XXXV. GRIFFO de *Ottenperg* elig. anno m. ccc. lxxxvi. vir in administratione fidelis; in corrigendis excessibus seuerus: rexit, an. xxvi.
- XXXVI. GEORGIVS *Cbern* elect. an. m. cccc. xii. cum tribus annis sine fruge præfuisset obiit *Vienna*, sepultus ad *S. Stephanum*.
- XXXVII. PAVLVS *Tellenpeck* el. an. m. cccc. xv. præfuit, an. LIII. initio regiminis diligens ac fidelis: at postea senio & infirmitate pressus resignauit.
- XXXVIII. BARTHOLOMÆVS, ob solertem curam ac fidam Monasterij tutelam dictus *Schirmer* elig. an. m. cccc. lxxviii. rex, an. xiv.
- XXXIX. IOANNES *Lenberger* creatur Præpositus An. m. c. d. lxxxii. a successoribus suis quasi secundus Monasterij fundator appellatur, rexit an. xi.
- XL. HIERONYMVS *Steiner*; Fratrum amator elig. an. m. c. d. xciii. præf. an. ii.
- XLI. MATTHÆVS *Parcker* eligitur an. m. c. d. xcvi. Hic bonorum Monasterij fidelis fuit restaurator; rexit an. xxxii.
- XLII. HIERONYMVS *Weirer*, an. m. d. viii. electus, præfuisse quidem Monasterio; at extruendis nihili ædificiis, & coëmendis hæreticorum libris eidem & obfuisse legitur, rexit an. xx.
- XLIII. BERNHARDVS *Stral* el. an. m. d. xlviii. vir diligens ac prouidus; rexit verò annis x.
- XLIV. WOLEGANGVS *Gassier* eligitur Præpositus an. m. d. lviii. qui cum annos xv. optimè gubernasset placide obdormiuit in Domino.
- XLV. WOLEGANGVS *Tallinger* el. an. m. d. lxxiii. minus prouide gubernans æs alienum contraxit: sui que regiminis anno V. iussus est resignare.
- XLVI. IOANNES *Radelmayr* in Præpositum est electus an. m. d. lxxviii. & obiit postquam annos iv. benè Monasterio præfuisset.
- XLVII. THOMAS *Rädlmayr* an. m. d. lxxxii. electus, cum annos vi. non sine Laude rexisset, obiit.
- XLVIII. MAGNVS *Keller*, antea Decanus Conuentus *Reicherspergen*. in Præpositum canonicè eligitur an. m. d. lxxxviii. moritur xx. Iunij, an. m. d. c. xii. postquam an. xxiv. summa cum Laude præfuisset.

- XLIX. ABSALON *Bernaui* Congregationis *Richerspergen*, Decanus Dni Magni senio & infirmitate confecto in Coadiutorem datur 23. Augusti, An. M. DC. XI. eoque mortuo jus plenum prælatura suscepit: obiit verò An. M. DC. XV. die 19. Martij, regiminis sui IV.
- L. GEORGIVS *Gover*, tunc Vicarius in *Orth*, prius verò *Richerspergen*, Decanus per triennium, canonicè eligitur die 28. Aprilis supra dicti, an. XV. modernus Laudabilis Præpositus, cui vitam & felicitatem Deus largiatur.

R O R.

MONASTERIVM inferioris Bauariæ, non procul à *Laber fluui*o, in vico eiusdem nominis situm, ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini. Constituitur seu fundatur hoc Monasterium à Magno, filio Rudpergi, Nepote Babonis Comitis Abenspergensis, cum vxore Irmogarda ac filio Alberto, dictis de *Ror*, Anno Domini 1133. in honorem beatæ Mariæ virginis. Idem Dominus Albertus de *Ror* pauper Christi factus, communem vitam ibidem duxit, sepultus in Choro ante summum altare. Diripitur hoc Monast. ab Alberto & Conrado, Com. *Möspurgen*. in schismate, quod fuit inter Fridericum secundum Imper. & Gregorium nonum, Auent. lib. 7. fol. 680.

ADVOCATI huius Monasterij erant Domini Abenspergenses, post quorum obitum Duces Bauariæ vnâ cum ditione Abenspergeni. Aduocatiâ tenent. SEPULTI sunt in hoc Cœnobio Domini de Abensperg, quondam Comites, Comites de *Roteneck*, dicti de *Alnpach* eiusdem familiæ, Item Domini de *Lapide*, qui etiam de illa familia fuerunt. Qui valè, latius potest videre in libro meo primo Genealogiarum Bauaricarum. Item Nobiles, *Ebran*, olim dicti de *Wildenberg*, *Ouensteteri*, *Hinzenhauseri*, *Erblspecken*, *Stumpfen*, *Regldarfer*, *Schurfen*, *Preisingeri*, *Marschalci*, *Hachsenackerer*, *Menekhouer*, *Kargl*, *Ochingeri* secund. Auent. in annalibus fol. 737. licet ibi nullum ipsorum monumentum reperiat.

ADDITIONES.

IN Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Conradus* Dei gratiâ *Ratisbonensis* Episcopus omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione instructi pastoralis esse nouimus officij murum se ponere pro Domo *Israhel* maximè Deo famulantium protectionem contra malorum infestationem. Quæ consideratione præ oculis habita, cum fratres *Rorensis* Ecclesiæ graues & molestas à Comite *Meinhardo* sustinerent, sub nomine Aduocatiæ exactiones, nos eiusdem Ecclesiæ priuilegia considerauimus, in quibus hoc patenter animaduertimus, quam ipse locus à nobili & libero viro *Mainse*, ac filio eius *Alberto*, ad eiusdem Ecclesiæ fundationem liberè contraditus est cum omni proprietatis jure super Altare S. *Petri Ratisponæ*. Considerauimus etiam eandem ecclesiam longo tempore liberam mansisse ab omni aduocatione & aduocatoria exactione contentam omnium causarum suarum sola Episcopi *Ratisbon.* atque Chori discussione. Tandem processu temporis præ memoriæ antecessor noster, Episcopus *Haimicus* cum iam dicti loci Præposito *Eberhardo*, atque eius Conuentu commoda deliberatione præhabita elegerunt quendam *Gebhardum* de *Abensperg* ad quem nullo spectabat jure ipsa Ecclesia non beneficium sibi per manus concedentes, sed officium defensoris